

hómínes, et in seípsis crudelióres et sceleratióres homicidæ flammis se donant, aquis se præfóvant, præcipitio se collidunt, et péreunt. Hoc Christus non dócuit : imo étiam diabolo præcipitium suggerénti respóndit, Redi retro sátana : scriptum est, Non tentábis Dóminum Deum tuum. Petro autem dixit, significans qua morte clarificáturus erat Deum : Cum esses júnior, cingébas te, et ambulábas quo volébas : cum autem senúeris, alter te cinget, et feret quo tu non vis. Ubi satis expréssit, non a seipso, sed ab álio debére occidí, qui vestígia séquitur Christi. **Te Deum.**

DIE XVII. NOVEMBR.

S. Gertrudis

Virginis.

Duplex ij. classis.

Pro princip. Catalauniæ.

Omnia de Comuni  
Virginum, præter sequéntia.

IN I. VESPERIS.

**Añæ. 1.** In corde Gertrúdis inveniétis me, dicit Dóminus, complácuit sibi in illa ánima mea.

**2.** Sanctíssima Christi sponsa dilécto suo júgiter adhærébat; et unus cum illo spíritus erat.

**3.** Quam puchra es, Gertrúdis, et quam decóra in deliciis : in qua jucúndam sibi Deus habitatiónem præparávit!

**4.** Vivo autem, jam non ego : vivit vero in me Christus : ego enim stigmata Dómini Jesu in corde meo porto.

**5.** Ardentissimo animárum zelo æstuábat, et omnes in viscéribus Jesu Christi cupiébat.

**Capitulum. Cant. 3.**

**N**véni quem díligit ánima mea : a ténui eum, nec dímittam, donec introducam illum in domum mátris meæ, et in cubiculum genitricis meæ.

**Hymnus.**

**G**ertrúdis, arca Núminis,  
Sponsóque juncta Virgínum,  
Da nuptiáles pángere  
Castos amóres fœderis.  
Quadríma Christo núbilis,  
In claustra prompte cónvolsans,  
Spretóque nutricis sinu  
Sponsi requíris óscula.  
Candéntis instar lílivi  
Odóre mulces sídera,  
Et virgínáli Coelítum  
Regem decóre pértrahis.  
Qui vivit in sinu Patris,  
Cíntus perénni glória,

Amánter, ut sponsus, tua  
Recúmbit inter úbera.

**A**móre Christum vúlneras :

Hic te vicíssim vúlnerat,

Tuóque cordi própria

Inúrit alte stigmata.

**O** singuláris caritas,

Et mira commutátio!

Hic corde respírat tuo,

Tu vivis hujus spírítu.

**T**e, sponse Jesu, Virgínium

Beáta laudent ágmina,

Patri, simul Paráclito,

Par sit per ævum glória.

Amen.

**V.** Spécie tua.

**Ad Magnificat. Añæ.**

Egredímíni et vidéte filíam

Sion Gertrúdem in

diadémate, quo coronávit

illam Christus in die desponsatiónis illius, et in

die lætitiæ cordis ejus.

**Oratio.**

**D**eus, qui in corde

beátæ Gertrúdis

Virgínis tuæ jucúndam

tibi habitatiónem præparásti :

ejus méritis et intercessióne cordis nostri

máculas cleménter abstérge,

ut digna divínæ majestátis tuæ habitatio éffici mereátur. Per Dóminum nostrum.

**Commém. præced.**

AD MATUTINUM.

**Hymnus.**

**M**ire noctúrnis, modulánte lingua,

Gesta Gertrúdis celebrémus horis,

Quæ, sacris instans præcibus, perégit

Témpora noctis.

**I**llius votis Deus obsecúndans,

Mox repéntinas plúvias

profúndit,

Moxque suspénsos grávidis

coércet

Núbibus ímbres.

**A**rva jamdúdum glácie

rigébant,

Corde cum móesto miserans

colónos,

Férvidis virgo lácrymis

resólvit

Frigora brumæ.

**N**e seges largo vitiétur

ímbre,

Sédulis cœlum præcibus

serénat,

Et graves læsi gemebúnda

placat

Núminis iras.

**I**gneis mentes pénetrat

sagíttis,

Lánguidis confert ánimis

medélam,

Atque succéndit sceleráta

castis

Péctora flammis.

**V**irgínium Sponsum, Supérumque Regem,

Virgínium sanctæ célebrent choræ,

Et sacram supplex Tríadem

per ævum

Orbis adóret. Amen.

**In I. Nocturno.**

**Añæ.** Gertrúdis virgo

quínquénis in sacre religiónis horto velut cau-

dens lilium plantata, omnium virtutum splendore refulsit.

**Añã.** Ad sacrum beati Benedicti ordinem divinitus vocata est, ut quæ Spiritus sancti donis replenda erat, Patriarcham omnium justorum spiritu plenum sibi imitandum proponeret.

**Añã.** Factum est cor ejus tanquam cera igne molita, cui Christus divinitatis suæ sigillum impressit.

**V.** Specie tua et pulchritudine tua. **R.** Intende, prospere procede, et regna.

De Canticis canticorum.

**Lectio j.** **Cap. 2.**

**S**GO flos campi, et lilium convallium. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Sicut malus inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios. Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo. Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me caritatem. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.

**R.** In caritate perpetua dilexit Gertrudem Dominus; ideo atraxit eam ab infantia, et duxit in

solitudinem: \* Et locutus est ad cor ejus.

**V.** Sponsavit eam sibi in sempiternum in fide, et in misericordia. — Et.

**Lectio ij.** **Cap. 8.**

**Q**uis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, et deosculer te, et jam me nemo despiciat? Apprehendam te, et ducam in domum matris meæ; ibi me doceris, et dabo tibi poculum ex vino condito, et mustum malorum granatorum meorum. Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me. Adjuro vos filiae Jerusalem, ne suscitatis neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. Quæ est ista quæ ascendit de deserto delicii affluens, innixa super dilectum suum?

**R.** Gertrudis conversa ad Sponsum suum dicebat: \* Mihi adherere tibi soli, dilecte mi, bonum est. **V.** Tunc Dominus inclinatus circumplectebatur eam, dicens: Et mihi adherere tibi semper suave est, dilecta mea. — Mihi.

**Lectio iij.**

**P**one me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum: quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio: lampades ejus lampades ignis, atque flammarum. Aquæ multæ non poterunt extinguere caritatem, nec flumina obruent illam; si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.

**Lectio iv.** Gertrudis virgo, Islæbii in comitatu Mansfeldiensi nobilissimis parentibus nata, quinquennis Christo, cui jam nubilus erat et matura, in monasterio urbis Robardæ, ordinis sancti Benedicti, virginitatem suam consecravit. Ab ipso in religionem ingressu, angelicæ vitæ rationem inuit, et litteris humanioribus, ac divinis apprime exculta, ad eam doctrinæ perfectionem pervenit, quam eruditissimi quique merito suspicerebant. Eximia fuit ejus contemplatio, in qua multis revelationibus ac visis cœlestibus a Deo illustrata, eodem inspirante, liberos divinæ sapientiæ plenos conscripsit. Quamvis autem tantis naturæ, et gratiæ dotibus enitèret, divinis frueretur colloquiis, prophetiæ dono, et plurimis esset insignita miraculis, adeo tamen sibi ipsa vilescèbat, ut inter præcipua divinæ virtutis miracula, hoc unum singulare crederet, quod se indignissimam, ut dicitur, portabat.

**R.** Sapiëntiam Dei loquebatur inter perfectas virgines a Christo Jesu edocta: \* Quem ab ipsa infantia in sponsum elegit. **V.** Spiritum hujus mundi non accepit, sed spiritum, qui ex Deo est. — Quem. **Gloria Patri.** Quem.

In II. Nocturno.

**Añã.** Gloriosa virgo Gertrudis, postquam migravit ad Sponsum, apparuit in vestitu deaurato, circumdata varietate.

**Añã.** Ancillæ suæ secreta cœlestia revelavit Deus per Spiritum suum.

**Añã.** Semper mortificationem Christi in corpore suo circumferèbat, cujus stigmata cordi suo impressa portabat.

**V.** Adjuvabit eam Deus vultu suo. **R.** Deus in medio ejus, non commovebitur.



**Lectio iv.** Gertrudis virgo, Islæbii in comitatu Mansfeldiensi nobilissimis parentibus nata, quinquennis Christo, cui jam nubilus erat et matura, in monasterio urbis Robardæ, ordinis sancti Benedicti, virginitatem suam consecravit. Ab ipso in religionem ingressu, angelicæ vitæ rationem inuit, et litteris humanioribus, ac divinis apprime exculta, ad eam doctrinæ perfectionem pervenit, quam eruditissimi quique merito suspicerebant. Eximia fuit ejus contemplatio, in qua multis revelationibus ac visis cœlestibus a Deo illustrata, eodem inspirante, liberos divinæ sapientiæ plenos conscripsit. Quamvis autem tantis naturæ, et gratiæ dotibus enitèret, divinis frueretur colloquiis, prophetiæ dono, et plurimis esset insignita miraculis, adeo tamen sibi ipsa vilescèbat, ut inter præcipua divinæ virtutis miracula, hoc unum singulare crederet, quod se indignissimam, ut dicitur, portabat.

**R.** Christo confixa sum cruce: \* Ego enim stigmata Domini Jesu in cor-

de meo porto. **V.** Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus. — Ego.

**Lectio v.**

**D**UM annum ágeret trigésimum, in Abbatissam ejus primum monasterii, in quo hábitum receperat, deinde Elpediáni, sive, ut vocant, Elphiáni elécta est. Quo in múnere per quadraginta annos ea caritate, prudentia, et regularis disciplinæ integritate se gessit, ut cenóbium domus Dei esse videretur, in qua corporati Angeli viverent sub Gertrúde magistra : quæ quamvis esset ómnium mater, ómnium tamen se ministram exhibebat. Cœlestis Sponsus in ejus nítido corde delicias suas collocávit, cui suórum etiám vúlnerum stigmata igneo amoris stylo divinus cœlator inússit. Hinc illa nihil nisi Christum loquebatur, quem in corde gestabat, qui nusquam se conveniéntius, quam in sacraménto altáris, ac deinde in hujus suæ dilectæ corde et ánima inveniéndum pronuntiávit. Ejúsdem carissimæ sponsæ sanctitatem divíni sui oris confirmávit oráculo, cum testátus est nullam

tunc témpore ánimam in terris vivere, quæ ut illi conjúctor, ita grátior esset et accéptior.

**R.** Indica nobis, quem diligit ánima nostra : \* Ubi pascas, ubi cubes in meridie. **V.** In corde Gertrúdis inveniétis me. — Ubi.

**Lectio vij.**

**D**Eiparam Virginem peculiári beneficio in matrem et procuratricem sibi a Christo datam, quam cum áliis cœli civitibus frequenter habebat spectábilem, singulari pietate prosequébatur. Erga sanctíssimum Eucharistiæ sacraméntum et Christi passiónem tanto amoris, et gratitúdinis sensu afficiebátur, ut tota lácrymis liquésceat. Animas piacularibus flammis addictas, quotidianis suffragiis et assiduis précibus sublevábat. Zelo divini honoris promovéndi, et procurándæ salutis próximi júgiter ardébat. Cum igitur ferventíssimo Dei amore pótiusquam morbo langueret, huic Christus, sanctíssima Matre, dilectóque discipulo, et candidíssimo Vírginum choro comitátus ádfuit, et ejus ánimam córporis solútam compágibus, ac mirábili pectoris explica-

tione intra cordis sui penetralia receptam, ad cœlestem thálamum tradúxit.

**R.** Quæ per revelatiónem Jesu Christi didicit Gertrúdis, eódem inspirante conscripsit : \* Qui abscondit hæc a sapientibus, et prudentibus, et revelatea párvulis. **V.** Lingua ejus calamus scribæ velociterscribentis. — Qui. Glória Patri. Qui.

**In III. Nocturno.**

**Añ.** Induit me Dóminus vestiménto salutis, et induménto lætitiæ circumdedit me, quasi sponsam ornátam monilibus suis.

**Añ.** Spiritu intelligentiæ replévit Gertrúdem Dóminus : dedit illi scientiam Sanctórum, et pósuit super eam spíritum suum.

**Añ.** Ingruéntem plúviam verbo continuit, obediénte Dómino sponsæ suæ précibus.

**V.** Elégit eam Deus, et prælégit eam. **R.** In tabernáculo suo habitare facit eam.

Lectio sancti Evangélii secundum Matthæum.

**Lectio vij. Cap. 25.**

**I**n illo témpore : Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc : Simile erit regnum cœlorum de-

cem virginibus, quæ accipientes lámpades suas exierunt óbviam sponso, et sponsæ. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

**Serm. 23. de Verbis Domini, cap. 2.**

**I**ntelligámus, carissimi, ad omnes nos, id est, ad universam omnino Ecclesiam, istam pertinere parabolam, non ad solos præpósitos, nec ad solas plebes, sed prorsus ad omnes. Quinque istæ et quinque virgines illæ, omnes omnino sunt animæ Christianórum. Sed, ut dicámus vobis, quod Deo inspirante sentimus, non qualescúmque animæ, sed tales animæ quæ habent catholicam fidem, et habere videntur bona ópera in Ecclesia Dei; et tamen ex ipsis quinque sunt prudentes, et quinque fatuæ. Quare ergo appellatæ sunt quinque, et quare virgines, prius videámus. Omnis ánima in corpore ideo quinário número censetur, quia quinque sensibus útitur.

**R.** Apparuerunt cœlestes spiritus, qui Gertrúdem ad Agni nuptias invitabant, dicentes : \* Veni, dómína, quia te expé-

ctant cœli deliciae. *V.* Veni de Libano, sponsa, veni de Libano, veni, coronaberis. — Veni.

**Lectio viij.**

**Q**UI ergo se abstinet ab illicito visu, ab illicito auditu, ab illicito odoratu, ab illicito gustatu, ab illicito tactu, propter ipsam integritatem, virginis nomen accipit. Sed si bonum est abstinere ab illicitis sentiendi motibus, et ideo unaquæque anima christiana virginis nomen accipit, quare quinque admittuntur, quinque autem repelluntur? Et virgines sunt, et repelluntur. Parum est quia virgines sunt, et lampades habent; virgines propter abstinentiam ab illicitis sensibus; lampades habent, propter opera bona; de quibus operibus Dominus dicit: Luceant opera vestra coram hominibus. Item discipulis dicit: Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris. In lumbis accinctis virginitas, in lucernis ardentibus opera bona. Si ergo ab illicitis abstinentia bona est, unde virginitas nomen accipit: et opera bona laudabilia sunt, quæ significantur lampadibus;

quare quinque admittuntur, et quinque repelluntur?

*R.* Cum beata Gertrudis Dei amore langueret, apparuit ei sponsus, quem diligebat: \* Qui eam in cordis sui sacrarium admittam, ad cœlestem thalamum traduxit. *V.* Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum? — Qui. **Gloria Patri.** Qui.

**Lectio ix.**

**A**LIAS dixit prudentes, alias stultas. Unde intuemur? Unde discernimus? De oleo. Aliquid magnum significat oleum: et valde magnum. Putas non caritas est? Querendo dicimus, non sententiam præcipitamus. Unde mihi videatur per oleum caritas significari, dicam vobis. Apostolus dicit: Adhuc supereminentiorem vobis viam demonstro. Si linguis hominum loquar et Angelorum, caritatem autem non habeam, factus sum æramentum sonans, aut cymbalum tinniens. Ipsa est supereminens via, id est caritas, quæ merito oleo significatur: omnibus enim humoribus oleum supereminet. Te Deum laudamus.

**AD LAUDES,  
et per Horas, Antiph.**

1. Lauda et lætare, \*  
filia Sion: quia ecce ego  
venio, et habitabo in medio  
tui, dicit Dominus.

2. O beata anima, \*  
quæ meruit esse sedes sapien-  
tiæ: cujus deliciae sunt  
esse cum filiis hominum!

3. Annulis septem \*  
subarrhavit me Dominus  
meus Jesus Christus, et  
tamquam sponsam deco-  
ravit me corona.

4. Habuit Gertrudis \*  
potestatem claudere cœ-  
lum, et aperire  
portas ejus: quia lingua  
ejus clavis cœli facta est.

5. Ancilla fidelis \*  
et sponsa electa intravit in  
cor, et gaudium Domini  
sui, cujus amore languē-  
bat.

**Capitulum. Cant. 3.**

**I**Nveni quem diligit  
anima mea: tenui  
eum, nec dimittam, do-  
nec introducam illum in  
domum matris meæ, et in  
cubiculum genitricis meæ.

**Hymnus.**

**A**D sacros Virgo thalamos  
anhelans,  
Nuptias cœlo celebrare  
gestit,  
Et piis votis nimium morantem  
Provocat horam.

**Æ**gra cum languet, manifestus astat

Cœlitum turma comitante  
Christus,  
Atque divini recreat ja-  
centem  
Lumine vultus.

**S**urge, conclamat, soror  
atque sponsa,  
En tibi pando penetrabile  
cordis,

**U**t triumphali reserata  
scandas  
Sidera curru.

**I**sta vox omnes penetrat  
medullas,

**A**tque compages animi  
resolvit,  
Spiritus liber volat in  
clusa

Viscera Christi.

**R**egios Agni thalamos  
petentem

**J**ubilans stipat Superum  
corona:

**A**tque complexus et amica  
cantat

Oscula Sponsi.

**V**irginum Sponsum, Su-  
perumque Regem,

**V**irginum sanctæ cele-  
brent chorææ,

**E**t sacram supplex Tri-  
dem per ævum

Orbis adoret. Amen.

*V.* Diffusa est gratia.

**Ad Benedictus, Antiph.** O  
dignissima Christi spon-  
sa, quam lux prophetiæ  
illustravit, zelus apostó-  
licus inflammavit, laurea  
Virginum coronavit, di-  
vini amoris incendium  
consummavit.

**Oratio.**

**D**Eus, qui in corde beatæ Gertrúdis Virginis tuæ, jucúdam tibi habitatióem præparásti : ejus méritis et intercessióne cordis nostri máculas cleménter abs térge; ut digna divinæ majestátis tuæ habitatió effíci mereátur. Per Dóminum.

**AD TERTIAM.**

**Capitulum.** **Inveni.** ut supra.

**R. br.** Spécie tua, \* Et pulchritúde tua. Spécie. **V.** Inténde, prospere procéde, et régna. Et pulchritúde. **Gloria Patri.** Spécie.

**V.** Adjuvábít eam Deus vultu suo. **R.** Deus in médio ejus, non commovébitur.

**AD SEXTAM.**

**Capitulum.** **Cant. 8.**

**P**One me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum : quia fortis est ut mors diléctio.

**R. br.** Adjuvábít eam, \* Deus vultu suo. Adjuvábít. **V.** Deus in médio ejus, non commovébitur. Deus. **Gloria Patri.** Adjuvábít.

**V.** Elégít eam Deus, et præelégít eam. **R.** In tabernáculo suo habitáre facit eam.

**AD NONAM.**

**Capitulum.** **Cant. 2.**

**S**urge amíca mea, speciósa mea, et véramínibus petræ, in caverna maceríæ : osténde mihi faciém tuam, sonet vox tua in áuribus meis : vox enim tua dulcis, et faciés tua decóra.

**R. br.** Elégít eam Deus, \* Et præelégít eam. Elégít. **V.** In tabernáculo suo habitáre facit eam. Et præelégít. **Gloria Patri.** Elégít.

**V.** Diffúsa est grátia in lábiis tuis. **R.** Propterea benedíxit te Deus in ætérnum.

**IN II. VESPERIS.**

**Añæ. 1.** Casta colúmba nidíficans in caverna maceríæ sacri láteris Jesu Christi, mel suavíssimum de petra sugébat.

2. Loquebátur Christus ad diléctam Gertrúdem facié ad faciém, sicut solet loqui homo ad amicum suum.

3. Beatæ Gertrúdis verba divini erant amóris jácula : lámpades ejus, lámpades ignis, atque flammárum.

4. Diléctæ ánimam e cárcere córporis exeúntem accépit Christus in ulnas suas, et cor suum illi amánter aperúit.

5. Lábia Gertrúdis custodiébant sciéntiam, et qui in pressúra erant, solátium requirebánt ex ore ejus.

**Capitulum et Hymnus** ut in j. Vesperis.

**V.** Diffúsa est.

**Ad Magnificat, Añæ.** Apparuerunt cœlestes Spiritus de cœlo descendentes in terram, qui Gertrúdem ad paradísi gáudia modulátis vóci bus invitábant : Veni, veni, dómína, quia te expéctant cœli delíciæ, alleluia.

**Commem. sequentis.**

EADEM DIE XVII.

NOVEMBRIS.

SS. Aciscli

et Victoriæ

Martyrum. Duplex.

Omnia de Comuni plurim. Martyrum, præter sequentia.

**Oratio.**

**D**Eus, qui familiam tuam beatórum fratrum et Mátyrum tuórum Aciscli et Victoriæ gloriósis confessióibus circúmdas et prótegis : concéde propítius, ut quos Patrónos agnóscimus, eórum méritis et intercessiónibus ab ómnibus adversitatibus liberémur. Per Dóminum nostrum.

**In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.**

**In II. Nocturno.****Leccio 10.**

**Ex Hisp. Brev. et antiq. Sanctoralibus.**

**E**UM Córdubæ Dion præses cárce res, sævos cruciátus, mortem dénique Christiánis indiceret, nisi sacra continuo diis fácerent : Acisclus et Victória fratres sunt ibi repérti ádeo strénui, ac fortes in asserénda christiána religióne, ut ad præsidem ducti nihil se fácere jussa príncipum audácter prædicarent. Quibus Dion præses dixit : Vosne estis, qui sacra deórum contémnitis? Nos, inquit Acisclus, præstamus Christo vero Deo débitam servitútem; non autem dæmónibus surdisque lapídibus. Erúbuit præses ad tam audax responsum, et in ima cárce res eos contrúdi præcepit, ubi cœlésti ab Angelis cibo refécti, póstera die sævíssima verbera pertulérunt.

**R.** Sancti tui.

**Leccio 9.**

**A**ltera die de cárcere edúctos, jubet præses in caminum ignis præcipitári. Sed suscépti ab Angelis, Deo laudes alta voce personábant. Quare stupefactus Dion imperat illos in flumen

cum ingentibus saxis prójici. Non tamen ibi angélicum eis defuit patrocínium; nam médiis in fluctibus non mergebantur. Quin média circiter nocte vox audita est, eórum vota non irrita fore denúntians. Tunc cándida nube obtécti, Christum inter dulces Angelórum concéntus perspexerunt.

**R.** Vérbera.

**Lectio vi.**

**H**IS perspéctis Dion rotas jubet afférrí, atque sub rotis ignem accéndi, et óleum désuper infúndi, ne mora ulla esset, quin Acisclus et Victória moménto consumeréntur. Quibus rotis circumáctis córpora certe crudéliter quassabantur. Céterum sancti Mártýres précibus instábant rogántes, ut ignis exstinguerétur, ne victória Dion exsultáret. Itaque súbito prorúmpens flamma quamplúrimos deórum cultóres interfécit. Prorsus cum vinci torméntis non possent, Victória post præcisam linguam, et úbera, ex quibus lac pro ságuine fluxit, sagittis confécta est: Acisclus decollátus: ubi ob commendatióem pretióse mortis eórum eódem die in singulos annos rosæ

divinitus ortæ colligebántur.

**R.** Tamquam aurum.

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangéllii secúndum Matthæum.

**Lectio vii.** Cap. 5.

**I**N illo témpore: Videns Jesus turbas, ascéndit in montem, et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus. Et reliqua.

Homília sancti Leónis Papæ.

De Festo omnium SS.

**B**ualis sit igitur doctrína Christi, sacrae ipsius sententiæ protestántur; ut qui ad ætérnam beatitudinem pervenire desiderant, gradus felicíssimæ ascensionis agnóscant. Beáti, inquit, páuperes spiritu, quóniam ipsórum est regnum cœlórum. De quibus paupéribus Véritas loquerétur, forte esset ambiguum, si dicens, Beáti páuperes, nihil ádderet de intelligénda pauperum qualitate, et sufficere viderétur ad promeréndum regnum cœlórum ea sola inópia, quam multi sub dura et gravi necessitate patiúntur. Sed cum ait, Beáti páuperes spiritu, osténdit eis regnum cœlórum tribuéndum, quos humilitas comméndat ani-

mórum magis, quam indigéntia facultátum.

**R.** Propter testaméntum.

**Lectio viiij.**

**D**ubitári autem non potest, quod humilitátis istius bonum facilius páuperes, quam divites assequántur, dum et illis in tenuitate amica est mansuetúdo, et istis in divítiis familiáris elátio. Verúm tamen et in plerisque divítibus invenitur hic ánimus, qui abundantia sua non ad tumórem superbiæ, sed ad ópera benignitátis utátur: idque pro lucris máximis número, quod ad revelándam misériam aliéni labóris impéndit.

**R.** Hæc est vera.

**Lectio ix.**

**O**mni géneri atque ordini hóminum datur in hac virtúte consórtium: quia possunt esse propósito pares, et impares censu. Nec interest, quantum sint in terréna facultate dissimiles, qui in spiritalibus bonis inveniúntur æquales. Beata igitur illa paupertas, quæ rerum temporálium amore non cápitur, nec mundi ópibus augéri appetit, sed cœlestibus bonis ditescere concupiscit.

Te Deum laudámus.

Vesperæ a Capitulo de sequenti, Commem. præcedentis.

DIE XXIV. NOVEMBR.

S. Joannis a Cruce

Conf.

Duplex ij. classis.

Omnia ut in Breviario ead. die, cum utrisque Vesp. integris, ommissa in primis Comm. S. Chrysoni Mart.

In j. Noct. Lect. Beátus vir. de Comm. ij. loco.

DIE XXVI. NOVEMBR.

In Desponsatione

B. M. V.

cum S. Joseph.

Duplex majus.

IN I. VESPERIS.

Añæ de Laud. Ps. Capit. Hymn. et reliqua hic non propria ut in Festis B. M. V.

**R.** Desponsatio est hodie sanctæ Mariæ Virginis. **R.** Cujus vita ínclýta cunctas illústrat ecclélias.

Ad Magnif. Añæ. Glorióse Virginis Mariæ Desponsatióem digníssimam recolámus, quæ et Genitricis dignitatem obtinuit, et virginálem pudicitiam non amisit.

Oratio ut ad Laudes.

Et fit Commem. S. Joseph, ubi est concessa, ante alias quascumque Commemorationes.

**Añā.** Exsurgens Joseph a somno, fecit sicut præcepit ei Angelus Dómini, et accepit conjugem suam.

**V.** Constituit eum dónicum domus suæ. **R.** Et príncipem omnis possessionis suæ.

**Oratio.**

**S**antissimæ Genitricis tuæ Sponsi, quæsumus Dómine, méritis adjuvémur : ut quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessióne donétur.

**Deinde sanctæ Catharinæ, ac sancti Petri Alexandr. Episcopi Mart., ut in Brev. ead. die.**

**AD MATUTINUM.**

**Invitat.** Desponsationem Virginis Mariæ celebrémus : \* Christum ejus Filium adorémus Dóminum.

**Psalmus.** Venite, exsultémus.

**Hymn.** Quem terra.

**In I. Nocturno.**

Incipiunt

Cántica canticórum.

**Lectio f. Cap. i.**

**S**culétur me ósculo oris sui : quia melióra sunt úbera tua vino, fragrántia unguéntis óptimis. Oleum effusum nomen tuum : ideo adolescentulæ dilexérunt te. Trahe me : post te curémus in odórem unguen-

tórum tuórum. Introduxit me rex in cellária sua : exsultábimus et lætábimur in te, mémoires úberum tuórum super vinum : recti diligunt te. Nigra sum, sed formósa, filia Jerúsalem, sicut tabernácula Cedar, sicut pelles Salomónis.

**R.** Hódie desponsáta est beáta Virgo Mariá ex progénie David : \* Per quam salus mundi credéntibus apparuit, cujus vita gloriósa lucem dedit sæculo.

**V.** Desponsationem beátæ Mariæ Virginis cum gáudio celebrémus. Per quam.

**Lectio ij.**

**N**olite me consideráre quod fusca sim, quia decolorávit me sol : filii matris meæ pugnáverunt contra me, posuérunť me custódem in vineis : vineam meam non custodi-vi. Indica mihi, quem diligit ánima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagári incipiam post greges sodálium tuórum. Si ignóras te, o pulchérissima inter mulieres, egrédere, et abi post vestigia gregum, et pascce hódos tuos juxta tabernácula pastórum. Equitátui meo in curribus Pharaónis assimilávi te amica mea. Pulchræ sunt genæ tuæ

sicut túrturis : collum tuum sicut monília.

**R.** Beatissimæ Virginis Mariæ Desponsationem devotissime celebrémus : \* Ut ipsa pro nobis intercedat ad Dóminum Jesum Christum. **V.** Cum jucunditate Desponsationem beátæ Mariæ Virginis devotissime celebrémus. — Ut.

**Lectio iij.**

**M**urénulas áureas faciémus tibi, vermicultas argénto. Dum esset rex in accúbitu suo, nardus mea dedit odórem suum. Fascículus myrrhæ diléctus meus mihi, inter úbera mea commorábitur. Botrus Cypri diléctus meus mihi, in vineis Engáddi. Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchrá es, óculi tui columbárum. Ecce tu pulcher es dilécte mi, et decórus. Léctulus noster flóridus : tigna domórum nostrárum cedrina, laqueária nostra cypréssina.

**R.** Gloriósæ Virginis Mariæ Desponsationem digníssimam recolámus, \* Cujus Dóminus humilitátem respéxit, quæ Angelo nuntiánte concepit Salvatórem mundi. **V.** Beatissimæ Virginis Mariæ Desponsationem devotissime celebrémus. — Cujus Glória. **G**loria.

**In II. Nocturno.**

Sermo sancti Bernardi Abbátis.

**Lectio iv.**

**Ex Homilia 2. super Missus est.**

**P**ortébat a príncipe mundi aliquándiu celári divini consilii sacraméntum : non quod Deus, si palam opus suum fácere vellet, impedíri posse ab illo metúeret, sed quia ipse, qui non solum poténter, sed étiam sapiénter quæcúmque voluit, fecit, sicut in ómnibus opéribus suis quasdám rerum vel témporum congruéntias propter ór-dinis pulchritúdinem serváre consuévit ; ita in hoc quoque tam magnífico opére suo, nostræ videlicet reparatiónis, non tantum poténtiam suam, sed et prudéntiam osténdere voluit.

**R.** Desponsatio gloriósæ Virginis Mariæ ex sémine Abrahæ, ortæ de tribu Juda, clara ex stirpe David, \* Cujus vita ínclýta cunctas illústrat Eccléasias. **V.** Hódie desponsáta est beáta Virgo Mariá ex progénie David. — Cujus.

**Lectio v.**

**C**onvéniens ergo erat, ut suáriter quoque ómnia, cœléstia scilicet et

terrena disponeret; quatenus et illinc dejiciens inquietum, reliquos in pace firmaret, et hic debellaturus invidum, nobis prius suae humilitatis et mansuetudinis valde necessarium exemplum relinqueret: sicque mirabili fleret moderamine sapientiae, ut et suis suavis et hostibus fortis appareret.

**R.** Cum jucunditate Desponsationem beatæ Mariæ celebramus: \* Ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Jesum Christum. **V.** Corde et animo Christo canamus gloriam in hac sacra solemnitate præcelsæ Genitricis Dei Mariæ. — Ut ipsa.

**Lectio vij.**

**Q**uid enim prodesset diabolum a Deo vinci, nobis manentibus superbis? Necessario igitur desponsata est Maria Joseph, quando per hoc et a canibus sanctum absconditur, et a sponso virginitas comprobatur, et Virginitatem verecundiam parit, quam famæ providetur. Quid sapientius, quid dignius divina providentia? Uno tali consilio secretis coelestibus et admittitur testis, et excluditur hostis, et integra servatur fama Virginis Matris.

**R.** Desponsatio tua Dei Genitrix Virgo, gaudium annuntiavit universo mundo: \* Ex te enim ortus est sol justitiæ, Christus Deus noster: \* Qui solvens maledictionem, dedit benedictionem: et confundens mortem, donavit nobis vitam sempiternam. **V.** Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. — Ex te. **Gloria Patri. Qui.**

**In III. Nocturno.**

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

**Lectio vij. Cap. i.**

**C**UM esset desponsata Mater Jesu Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto. Et reliqua.

Homilia sancti Hieronymi Presbyteri. **Lib. i.**

**Comm. in Matth. cap. i.**

**B**uare non de simplici virgine, sed de desponsata concipitur? Primum, ut per generationem Joseph, origo Mariæ monstraretur: secundo, ne lapidaretur a Judæis ut adultera: tertio, ut in Ægyptum fugiens haberet solatium, Martyr Ignatius etiam quartam addidit causam, cur a desponsata conceptus sit: Ut partus, intrinsecus, ejus celaretur di-

bolo, dum eum putat non de virgine, sed de uxore generatum.

**R.** Beatum me dicent omnes generationes: \* Quia fecit mihi Dominus magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. **V.** Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum. — Quia.

**Lectio vij.**

**A**ntequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto. Non ab alio inventa est, nisi a Joseph, qui pene licentia maritali futuræ uxoris omnia novaverat. Quod autem dicitur, Antequam convenirent; non sequitur ut postea convenerint: sed Scriptura quod factum non sit, ostendit.

**R.** Felix namque es sacra Virgo Maria, et omni laude dignissima: \* Quia ex te ortus est sol justitiæ, \* Christus Deus noster. **V.** Ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu: sentiant omnes partum juvenem, quicumque celebrant tuam sanctam Desponsationem. — Quia. **Gloria, Christus.**

**Lectio ix. de S. Petro Alexandrino Episc. et Mart. ut in Breviario et ejus Comm. in Laud.**

**AD LAUDES, et per Horas, Añæ.**

**1.** Desponsatio \* gloriose Virginis Mariæ, ex semine Abrahamæ, ortæ de tribu Juda, clara ex stirpe David.

**2.** Desponsatio est hodie \* sanctæ Mariæ Virginis, cujus vita inclita cunctas illustrat ecclesias.

**3.** Regali ex progenie \* Mariæ exorta refulget: cuius precibus nos adjuvante mente et spiritu devotissime poscimus.

**4.** Corde et animo \* Christo canamus gloriam in hac sacra solemnitate præcelsæ Genitricis Dei Mariæ.

**5.** Cum jucunditate \* Desponsationem beatæ Mariæ celebramus, ut ipsa pro nobis intercedat ad Dñum Jesum Christum.

**Capit. et Hymnus ut in Festis B. M. V. per Annum.**

**V.** Desponsatio est hodie sanctæ Mariæ Virginis. **R.** Cujus vita inclita cunctas illustrat ecclesias.

**Ad Bened. Añæ.** Desponsationem hodiernam perpetuæ Virginis Genitricis Dei Mariæ solemniter celebramus, qua celsitudo throni processit, alleluia.

**Oratio.**

**F**amilis tuis, quaesumus Domine, celestis gratiæ munus imper-